



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Annalivm Trevirensium

Masen, Jacob

Augustae Trevirorum, 1676

Liber VIII. Leo III. Pap. Carolus Magnus Imper. Amaltherius Archiepiscopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12542

LIBER VIII.

Leo III Pap. Carolus Magnus Imper.
Amalherius Archiepiscopus.

JAm Carolus post Leonem Romam attigerat, diem
istic nascenti Christo sacrum, consuetâ pietate, trans-
actus: cum Leo, clam Rege, consilio purpuratorum
Patrum Romanique senatus, Carolo qui divinis Vatica-
na in æde aderat, imperatorium desert, imponitque so-
lenni ritu diadema. Tanto Caroli ad improvisum ho-
norem attoniti stupore, quanto populi gaudio lætissi-
mis vocibus applaudentis: *Carolo Piissimo, Augusto, à
Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori, vita & victo-
ria.* Ita desertum jam diu in occidente, in oriente ve-
rò profligatum impietate Græcorum imperium, ad u-
nius, meritissimi de repub. ac religione Principis, po-
testatem, delatum est. Pipinus verò Caroli filius Rex
Italiae simul est proclamatus. Deinde institutâ quæ-
stione criminum publicâ, citati ad dicendam causam
Leonis inuadores, cum neque ad objecta Leoni crimi-
na, neque ad purgandum facinus sufficerent, capitis
damnati, ad Pontificis intercessionem, solo exilio de-
decus luerunt. Subinde constituendæ, perque leges
latas firmandæ reip. Carolus invigilans, hiemem in Ita-
lia transegit. non rerum modò civilium, sed & Eccle-
siasticarum haud levi emolumento, ad quæ Leo con-
siliium, vires Carolus, auctoritatem uterque adferebat.
Neque abs re fuerit hoc loco commemorare, quæ
hac tempestate reip. apud Treviros imago fuerit. Re-
gebatur illa tunc Ripuariorum ac Salicis Francorum le-
gibus, quæ etiamnum manibus eruditorum teruntur.
Duo erant urbis capita; legatus & Comes. Ille
Principis vice omnia supremo jure administrabat, ma-
gistratus

An. Chr. 806.
Carolus M.
Romæ à Leo-
ne Pont. cre-
atur Impera-
tor Rom.

Pipinus fil.
Rex Italiae.
801.
Leonis inva-
sores exilio
multantur.

Trevirorum
resp. & regi-
men quale
fuerit.

gistratus creabat, imperabat vestigalia, excipiebat populi sacramenta, causas audiebat, conventusque indicabat. Missus etiam Dominicus, Præses, Majorque domus Trevericæ dictus, quæ potestas ferè Archiepiscopi est delata. Nunc in Vicedominos ex parte derivata Comes illi adjunctus, operam causis aliisque sibi imperatis dabat, locumque illius Prætor deinde est affectus qui XIV. Scabinis ad munus rectè obeundum utebatur. Consules serò, nec nisi anno MCDXLII Principis voluntate reducti sunt.

Leges Carolina.

An. Chr. 802.

Porro inter Leges, seu capitula, ut vocant, Carolina, ac Ludovici Pii filii, Ecclesiastica quoque, cum Pontificum approbatione utilia apprimè decreta fanciuntur, ut quod Metropolitanis Suffraganeorum suorum in rebus statuendis gerendisque consilio utendum sit. Clericis non ante aliud, quàm Episcopi sui tribunal comparandum, jus canonicum Sacerdotibus tenendum. Femina, præter Matrem Sororemque, aut quæ suspecta esse possit, nulla domi alenda. Sic diversa alia de templorum cultu, vitæque clericali, de censu, decimis, Monasteriis, Scholis, digna observatu constituta sunt; ut Carolus non belli magis politicarumque artium, quam pacis religionisque ac eruditionis excolendæ scientem amatoremque fuisse testentur.

Legationibus Persarum & Irene honoratus Carolus huius nuptias ambit.

803.

Saxonibus bello compositis, Danorum grave bellum orditur.

Carolus sub ea honorificis legationibus etiam Persarum Regis honoratus est. Memorant, & de nuptiis cum Irene orientis Imperatrice & Caroli, Frastardâ, ac post illam Luitbergâ mortuâ, vidui, actum esse, sed Nicephorum Phocam, occupato hoc consilium interceptum. Vix Italiam reliquerat, cum de armis contra rebelles Saxones cogitatum. quos more suo, ut vidit, vicit, ac plerisque toparcharum ex nobilitate Francis cithenanâ, tum vero Episcopis ad religionem excolendam præfectis, denique in obsequio continuit. Quando Godefridus Danorum Princeps ex septentrione emergens, latè priusquam timeretur, Frisiâ in potestatem redactâ, dominari cœpit, ipsique etiam Carolo

(tant)

(tanti, cum successu, animi creverant) Aquisgrani minari est auditus. Nec semel hunc ad sua rejecisse suffererat, Carolo filio in hoc bellum submisso, identidem suis ex Insulis, velut latebris, erumpens, terrorem vastitatemque circumferebat, donec scelere domestico sublatus, hostem quem foris quærebat, inter amicos invenit. A Ludovico filio altero Aquitanix Rege feliciter arma adversus Mauros illata Hispanix, & omnia prope ad Iberum usque, Catalauniâ possessâ, Barcinone & Dortona expugnata, Francici iuris effecta sunt. Pipino in Italia contra Nicephorum Phocam pro Venetiis (quas Græci tenebant) Dalmatiâque, inter utramque partem divisa, certatum est, alternante (donec pax eos dirimiret) victoriâ. Ita Carolus sensim consenscens bellabat in filiis, suâ consultò quiete ad exacuatam illorum ætatem usus, gemino emolumento, quo ad continentiam pietatemque ipse, quam correctâ thori licentiâ colebat impensius, & filii experimentis bellorum ad fortitudinem proficerent. Ut sui cuique constarent termini, Pipino Italiam, Ludovico Aquitaniam à Ligeri ad Iberum flumen, Carolo Franciam Germaniamque à Ligeri ad Albim usque designarat. quanquam, ut rarò fratrum in partitione regnorum sibi constar gratia, occulta æmulatione dissiderent, si Ludovicum demas, qui, quâ erat religione, modò per Patrem licuisset, Carolomanni exemplo regnum clauastro, aulamque eremo mutaturus fuisset. Pipinus tamen cum Carolo eo propemodum tempore, quo Leo Pontifex Caroli Imperatoris desiderio ex Italia in Franciam natalitia Christi cum illo Carisiaci celebraturus advenerat, felici Treviris apud S. Goarem casu est conciliatus. Descendebat Pater cum filiis Rheno secundo, Pontifice, ut par est credere, jam dimisso, ex palatio suo Ingelheimio Aquas Granæas revisurus, quando Abbas Assuerus honoris gratiâ occurrens, hospitium suum officiosè defert, simulque ad S. Goarem piè salutandum invitat, recusat Augustus aliumq; sibi profectionis

Ludovicus
fil. Aquitanie
Rex Hispaniam late occupat.

Pipinus in Italia contra Græcos pugnat.

Carolus M. pietati se impensius dedit.

An. Chr. 805.
Carolus & Pipinus fratres dissidentes cœlirius ad S. Goarem conciliantur.

termi-

terminum præfixum afferit. Filius tamen Carolus, Patre non invito, ad Sacellum Divi appulsâ navi excurrit. Pipinus inde, ratus exscendisse parentem, aliâ navi consequitur, fratremque Carolum piè ante aram prostratum reperit, simulque fraterni hinc odii stimulis, hinc pietatis reverentiæque erga S. Goarem, multis id temporis prodigiis celebrem, incitatus, ad pacem amoreque redintegrandum se mirificè sensit inflammari: nec secus viso fratre Carolus, ratus ingratas fore Deo Divoque preces inconciliatorum, cum eo amicè congressus est. Unde positis simultatibus, grato aliis spectaculo, in mutua necessitudinis jura cojerunt. ac subinde ab Assuero excepti mensa ciboque recreati ad naves rursus deducti sunt. At Imperatori ille pietatis neglectus, gravi navigationis periculo, ventis undisque obluantibus, stetit. ut incertus vitæ jam vel ex navi, quæ nec viam, nec litus tenere posset, ad S. Goarem vota precesque mitteret. Positis tamen, sub occasum solis, fluctibus, cum assequi destinatum non posset terminum, noctem magnâ commeatus transegit inopiâ; Seque irreverentiâ peccasse in S. Goarem professus, viginti annis libras, duoque vestiendis aris ex holoserico pallia, in expiationem delicti submitit, voti sponsione addita. Locum se deinceps nunquam, sine appulsu precibusque ad sancti aram litatis præteriturum. Ita multi adventu tate ad pietatem erudiuntur, quam felicitate sua frui negligenter.

Iswardus procurator fisci ab eodem Divo plectitur.

Porro S. Goar post biennium Iswardum Regii fisci procuratorem; postquam & contumeliis, & immeritis exactione gravasset sui oratorii clericos, plagis per quietem tam validis afflixit; ut pedem deinde figere imposuisti navi supplex ad templum delatus sit, & promissâ clericis libertate sanitati restitutus: præter genitalium insolens pondus, quod ad perpetuum cupiditatis detestandæ stimulum Divus reliquit. Et nondum mortales discimus, quod nemo impunè Superos contemnat,

Alter

Altero deinde anno Theodonisvillæ in procerum An. Chr. 806.
Comitiis primò Cæsar testamento fanciit hereditatem Comitiam
regnorum in filios divisam, multa que in Ecclesiarū usum procerum ad
destinavit, ac subinde filiis, ad sua quemque regna, di-
missis, per Mosellam Treviros, inde per Rhenum ad Va-
nem proban-
halim Noviomagum Bataviæ, ubi in condito sibi Pala-
dam.
tio per Quadragesimam quietus, à Paschalibus Festis
Aquisgranum rediit, Persarumque illic legatos, amplif. 807.
simis ultrò citroque muneribus delatis, excepit. Qui Solis & Lu-
tamen annus Solis Lunæque deliquiis terribilis, illu-
næ defectus.
strium funeribus præluxit.

Prima quæ à mortalibus ad immortales transit Ada 809.
fuit, Pipini Regis filia, Caroli Mag. soror, quæ spreto Ada soror
mundi fastu illecebrisque, Treviris solitariam Deo vi-
Caroli Mag.
tam dicaverat, multis in S. Maximinum, quem impense Deo devota,
illic coluit, beneficiis cognita; ideóque & chori basili-
ad S. Maxi-
cæ umbilico, sub hac in niveo marmore inscriptione pul-
minum se-
sepulchrali, recepta: ADA. ANCILL. CHRISTI.
pulta est.
SOROR. CAROLI. MAGNI. Vetustissimo ejus loci
codice hæc continentur. IV. idus Maij obiit Ada Ancil-
la Christi, pia memorie filia Pipini Regis, soror Magni
Caroli Imp. Qua multa bona circa & infra Mogun-
tiam & in pago Nachorve, S. Maximino contulit, & Dona istie
post finem vite hic sepulta quievit. Memorabilem ibi reliquit, in
reliquit Evangeliorum Codicem, in membrana aureis quibus emi-
net codex M.
exaratum scite, latii sermonis literis, & Evangelista-
rum. S. Evangelio-
rum iconibus; vivis adèò vegetisque lineamentis, ut
non ita pridem ducta existimes, operculo auro gem-
misque radiante: cujus Achates semipalmaris cum Ada
Carolum fratrem tresque filios ejus repræsentare vide-
tur, geminâ subter Aquilâ nativo magis, quàm artis co-
lore emicante, Epigraphe libri non inelegans:

*Hic liber est vite Paradisi quatuor amnes,
Clara salutiferi pandens miracula Christi:
Qua pius ob nostram voluit fecisse salutem.
Quem devota Deo jussit perscribere Mater.*

O

Ada

*Ada ancilla Dei, pulchrisque ornare metallis,
Pro quâ, quisque legis versus, orare memento.*

Effecia alte- Altera ejusdem Soror Effecia, paribus accensa pietatis
ra Caroli M. studiis, Divique Benedicti familiæ devota, Monasterium
soror Rutila. ejus instituti hominibus, quod supra Treviros infra
Theodonisvillam Rutilense vocant (jamque emoriente
te istic vigore ac numero pristino, Patribus Carthulie
nis anno cessit Christi 1431) liberalitate non impari ex
citavit. Ecclesiam Leonem III dedicasse in honorem
Xisti Papæ memorant. cujus in oratorio S. Stephani Effecia
quiescat.

Controversia Dum Carolus Aquisgrani ageret, ob vocem FILIO
Græcorum QUE Symbolo Nicæno additam, quâ procedere ab eo
de processio- dem S. Spiritum significabant, nata per Franciam diffi
ne Spiritus S. dentium controversia est: quæ per Synodum Episcopo
in Gallia so- rum illic collectam ad Leonis Pontif. arbitrium delata,
pitur. conquievit; dum omisso publicè cantu, sensim legen
di consuetudine recepta est.

An. Chr. 810. Pipinus verò Italiæ restitutus, cum felici armorum
Pipinus & successu obtinisset Venetias, Nicephorumque orientis
Carolus Ca- Imp. pace jam Aquisgrani cum Patre in ita obstrictum
rolis Mag. filii teneret, magno hujus dolore occubuit. Hunc, altero
moriuntur. post anno, Carolus frater morte secutus, luctum opti
mi senis cumulavit. Quem tamen justo Dei judicio
811. plurium concubinarum amatori, licet jam pœnitentiam
incussit; ut legitimi thori sobolem doleret sublatam
qui illegitimi parum pudicè usum consecutus esse
Amor con-
cubinarum
in Dei amo-
rem versus.

813. Quare animum jam sensim à mortalium rerum am
re abstractum, Deo divinisq; cœpit impendere, ac quibus
quid in thesauris domesticis esset, in Ecclesias ac pauperes
res, tabulis super ea re consecutis dispertiri. Tum Amal
herium Trev. Archiep. in orientem ad Michaellem Imp
qui Nicephoro defuncto successerat, foederis societatis
que perpetuandæ gratia, ut ipse per Legatos Michaellem
rogaverat, unâ cum Monantulo Comite destinavit, cujus
cujus expeditione & reditu postea intelligemus.

Reliqui

Reliquerat Deus Carolo, post quatuor Reginas morte sublatas, unam tantum præter illegitimos filios, prolem masculam Ludovicum, virtutis merito Pium appellatum, ad quem totius imperii curas transferre statuit, nisi quod Bernardo, spurio ex Pipino Nepoti, Italiae regnum consignarit; cum præsentem illud rectorem ob frequentiores motus sibi deponere videretur. Quare Ludovicum ad se Aquisgranum evocatum, in frequenti procerum comitio, summam in æde inter sacrorum solennia post fusas Deo preces, de imperio rectè administrando Ecclesieque protegenda commonitum, propositam in ara maxima imperialem coronam, velut de manu Dei accipere, suoque ipsummet jussit capiti imponere, atque ab omnibus Imperatorem salutari. Deinde verò synodis Episcoporum Moguntiae, Rhemis, atque Arelate institutis, Episcopos, de rebus Ecclesie toto imperio quam optimè moderandis, leges rationesque expendere, quod religionem sanctè cultam præcipuum sentiret esse salutis publicæ privatæque fundamentum, quo concusso cetera in præceps ruere, longam experientiam, comperisset. atque inter tam præclaros conatus Aquisgrani febre ac pleuritide dejectus vivere desiit. anno salutis DCCCXIV ad V. cal. Febr. in basilica imperiali Deiparæ à se condita, non sine sanctitatis famam, sepultus. Verè magnus scientiam & amore literarum, fortitudine ac felicitate armorum, pietate ac poenitentiam. Cum inter clarissimas virtutes una labes hæssisset Veneris, Marti Palladique sociatæ. Hoc multis suorum felicior, quod maculam hanc suam hærentem purpuræ dignis serio lacrymis diluerit. Episcopatus per Saxoniam Austrasiamque varii ipsius liberalitate gaudent, ac Saxones plerique suis Episcopis tributis obnoxii mansere. Apud Treviros Metropolitana ædes in beneficium * Levicanum & Serviacum, anno 34. regni * Leucke concessum, numerat. Sancti verò Maximini Asceterium, *puđ Saram.* inter munificentiam illius monumenta Steinsalam, Wi- In Trev. Ec- maris- clesias liberalis.

Carolus Ludovico filio coronam defert.

An. Chr. 814. Ipse Imp. piè ad mortem dispositus moritur.

Vitia illius & virtutes.

mariskircham, & Comitacum, prædia haud parum luculenta, gratum recenset.

Amalherius
à Legatione
mortuus
Hetti habet
successorem.

Vide Notas
ad Brovv.
tom. I. An-
not. 16.

Pith. Annal.
Franc.

An. Chr. 316.
Stephanus V
Papa Leonis
successor Lu-
dovicum
Rhemi cor-
onat.

317.

Ludovicus
Aquensi por-
tici lapsa
graviter læ-
sus.

In oriente Michael abdicato imperio Leonem successorem habuit, qui perinde cupidus pacis Christophorum Protospatharium & Gregorium Diaconum cum Amalherio revertente ablegavit. Sed hunc à via reductum morbo correptum succubuisse ac HETTI Modiolacensis Cœnobii Abbatem successisse, ex argumentis diversis satis compertum, aduersus quorundam chronologiam, habemus. quando quidem Bernardo in Italia rebellante anno seculi XVII jam Hetti Cathedram possidebat, adeoque libros officiorum sub Ludovici imperio conscriptos vulgare non potuit nisi alter Amalherius Diaconus Metensis. Illustris nihilominus doctrinæ zeliqve vir, Theganum Suffraganeum, magnopere suis consentaneum moribus habuit, cujus pro concione dicentis & eruditio, & ardor Walafriidi Strabonis illi familiaris testimonio eminuit. Archiepiscopus idibus Junii mortuus in S. Paulino quieuit.

Leoni Romæ Pontifici Stephanus ex Diacono rogatus ante omnia Ludovicum in Gallia, bellorum fortasse imminentium præfagus, adeundum censuit. Qui id temporis Aquisgrani habito Episcoporum conventu multa salubriter de Cleri moribus Canonicorum vivendi methodo per eosdem constituerat. Inde igitur Rhemos cum Hermingarde conjugè profectus, à Stephano solenni coronatione, præsentè ejus loci antistes Ebbone, inauguratus est. Verùm Stephanus magnè honore muneribusque excultus, ceu ad hanc coronationem tantum electus fuisset, Italiæ redditus tertio post mense expiravit. Ebbo parum constans Ludovico obsequium præstitit. Imperator Aquas reversus, factioris hebdomade quinta die, ubi ex templo domum redit, caducâ oppressus porticu, haud leviter afflictus est; aliis tamen hoc casu pereuntibus, ipse post viginti unum diem convaluit. ut parcere Ludovico visus in porticu Deus fuerit, etiam cum noceret. Alter post hunc

armorum impetus pari felicitate averfus est. Nam Bernardus, ex fratre majore natu Pipino nepos, sibi, licet illegitimo, deberi imperium volebat, atque iccirco indignè tulit Aquisgranensibus comitiis Lotharium, Ludovici filium consortem imperii Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Bojariæ Regem dictum ut denique armis injuriam hanc vindicandam sibi esse cerneret. Quare Ludovicus & sibi omni studio bellum esse apparandum statuebat. Quo nomine Hetti Trevirorum Archiepisc. legati Imperatorii potestate ad Frotarium Tullensem Episcopum litteras hoc anno dedit, quo ipsius Vasallos expedire repentè arma jubet, atque ad omnem Imperatoris nutum esse paratos. Quem cum subinde ingenti properare exercitu Bernardus accepisset, impar viribus, abjecto rebellandi consilio, ad ejus clementiam supples confugit. Quam & pro ingenio indulisset Ludovicus, nisi suorum procerum consilio in transversum actus, misero oculos effodi jussisset. Quo dolore, per animi ægritudinem inflammato, cum post triduum exspirasset, suam Ludovicus, cum multis aliis, crudelitatem, dum viveret, accusavit, crebrâque filiorum rebellionè jactatus expiavit. nimia in hos clementia, dum priorem corrigere severitatem vellet, illorum temeritatem exacuens, & suam augens calamitatem. adeò difficile regnantibus est, in pœnis ac remissione, mediocritatem obtinere, & delictum omne vitare, dum delicta corriguntur.

Variis subinde Principum & Episcoporum Comitibus, Aquisgrani, Ingelheimii, ac Theodonisvillæ de rep. & Ecclesia Dei, varia sunt constituta. Et huc quidem illa referenda sunt, quæ Bro Werus anno hujus seculi 6. adversus percussores Clericorum decreta asserit, ubi Hetti Archiepiscopum Trev. subscripsisse non diffiteatur. Porrò Irmingarde jam mortua, Ludovicus Juditham Boicæ nobilitatis conjugem duxit, ignarus quantum cum illa calamitatum seriem traheret. quæ tamen illi ex conjugio Carolum Calvum, postea Imperatorem, dedit.

Labbe de
script. Eccl.
in Addendis
tom. 1. p.
695.

315.

Bernardum
Nepotem re-
bellantem, ac
dein suppli-
cem, oculis
vita crudeli-
ter privat.

An. Chr. 819.
Comitiis va-
riorum loco-
rum Ecclesiis
& reip. con-
sultitur.

Juditham Ba-
varam Ludo-
vicus, Ir-
mingarde
mortua du-
cit.

S. Goarem
navigantes
impunè non
negligunt.

820
Pannonia re-
bellis do-
mita.

821.
Lotharii fi-
lii nuptias
Theodonis-
villæ cele-
brat.

822.
In Synodo
Episcoporum
pœnam sibi
ob Bernardi
mortem in-
fligi petit.

823.

dedit. Ceterum Ingelheimio secundo Rheno Con-
fluentiam descendit, S. utique Goarem religioso id tem-
poris more reveritus. Cum & Patris quondam præte-
reuntis, & recens multorum hoc officii negligentium,
celebrata esset correctio. Quandoquidem Maximinus,
S. Gereonis apud Ubios præsul, vix ex naufragio, cum
navi transitum meditante, ad litus emerferat: altera ve-
ro navis, quæ mulierem ad sancti Goaris limina egres-
sam operiri reducem noluit submersa erat, infante
ejusdem matris ex undis ad ripam incolumi delata, &
servi metu pœnarum ad aram divi profugi impunè avelli
non potuere. tanta loci, hac tempestate, tamque sacra ha-
bebatur religio; ut hunc sine veneratione prætereire di-
ceretur in crimine.

Annus insequens tres Ludovici exercitus in rebelles,
sub Liudevito Duce, Pannonos immisit. qui uno alie-
rove hic anno, lautis rebellium ditati spoliis, Austras-
ios revisere.

Imperator sub hæc Aquis per Arduennam, venario-
ne frequenti tritam, Trevirorum urbem, Martyrum-
que basilicas invisit, atque hinc Theodonis villam digres-
sus, Lotharii filiorum natu maximi nuptiis; cum Irmi-
garde Hugonis Comitis filia, in solenni Procerum, ipsi-
usque Paschalis Pont. legatorum conventu, celebratis
interfuit, verum perpetuo inter lætissima quæque con-
scientiæ vulnere, quod supplicem ultra sibi nepotem
Bernardum oculis vitæque orbasset. Atque iccirco cele-
bratæ, Rhemorum in finibus Attiniaci, Episcoporum
Synodo, publico judicio accusatur ipse, & reus digna se
pœnitentiâ, raro submissionis exemplo, plestendum fle-
tit: pœnæ sibi irrogandæ supplicium non deprecans,
sed ultro accersens. Inde verò Lotharium abs se filium,
cum imperio dimisit in Italiam; ut acceptis regni inhi-
gnibus, ejus præsens incolumitati consuleret. ipse Frac-
cofurtum descendit, atque istuc inter Germaniæ pro-
ceres de ejus salute deliberaturus, ædificiis non minus
quàm legibus urbem ornavit. Altero vero post anni
auto

autor Clero Metensi fuit, ut Drogonem, ex Carolo Magno & Robeda Concubina, fratrem, monasticæ (cum aliis spuris Hugone & Theodorico) vitæ autoratum, in Antistitem suum, Gundolpho jam defuncto, admitteret. Tum verò, ad intercessionem Adelhardi Patris consobrini, Abbatis Corbejensis in Gallia, alteram sub ejusdem obsequiis Corbejam inferioris Saxonie crexit, tanquam aliquod pœnitentiæ susceptæ pensum, nobili censum proventu locupletem. Interea, velut ipsum cum suo Principe lugere imperium videretur, varia passim extitere prodigia, Aquensi etiã palatio, trepidante terrâ, concusso, & latè per Franciam in vulgus sparsa mortalitate, quando, & alimentis apud multos deficientibus Leucorum in agro Comerciaci puella annorum XII pasta cibo eucharistico festis paschalibus, alium per triennium cibum respuit; à quo ad communem deinde est victum reversa; ut & pateret, quàm facile Deo esset esurientes pascere: & simul ostenderet mortalem suã non debere conditionis oblivisci.

Drogo frater Ludovici Episcopus Metensis.

Corbejam Saxonie Ludovicus fundat.

Prodigia, & puella per triennium sola Eucharistia pasta.

Nec multo post Harioldus Nortmannus, magna cinctus Danorum multitudine, ad imperatorem per Rheni sanctique Goaris confinia Moguntiam usque transiit, ubi in S. Albani basilica solenni cum suis apparatu sacris Christianis initiatus, fidem exemplumque ad suos retulit, non levi optimi Imper. gaudio, qui & muneribus & honorifico reduces comitatu est profecutus, tanquam orco triumphato victores. Cum quibus postea S. Ansgarius, Corbejæ Monachus, Danos ad orthodoxam fidem traduxit. Quo tempore cum filiorum adversus Ludovicum patrem suscepta, Novercæ Judithæ odio, glisceret conjuratio, missi ad Lotharium in Italiam legati sunt, Odgarius Moguntiorum Archiep. cum aliis, ut alienatum ad patris observantiam animum componerent. Quâ occasione S. Severi Ravennatis Episcopi, Vincentiæque conjugis, atque Innocentiæ filie ossa clam accepta Moguntiamque translata fuerunt.

§26.

Dani Moguntia baptizati.

S. Ansgarius eorum Apostolus.

O 4

Cui

Variæ ex Italia in Germaniam Galliamque illatae Reliquiæ SS. ex quibus S. Sebastiani caput Treviris cessit. Cui beneficio accessere S. Sebastiani Martyris pignora Monachis Dionysianis ab Eugenio Pont. concessa, & in Suessionibus ad S. Medardum deposita. unde caput virdis Augiæ, apud Treviros, Monasterio, ac deinde illatum urbi, magna hodieum religione observatur. Pars etiam Epternacensibus & Arensteinianis apud eosdem cessit, magnâ ubique & religione & prodigiorum gloria, tam carum pignus comitante.

827. Evenit deinde, ut Mauri ex Hispania in Aquitaniam, magnâ rursus vi, erumperent, quibus componendis primò quidem Helisachatem S. Maximini apud Treviros Abbatem, cum Donato & Hildebrando Comitibus legavit. Nec multò post Pipinum filium cum exercitu objecit Imperator; at serius, quando jam Mauri cum ingenti præda, Cæsaraugustam sese receperant.

An. Chr. 828. Proceres Francorum filios Imp. ad rebellionem incitant. Ipse domi Ludovicus Palatio Aquisgranensi basilicè instruendo, sacrisque rebus ac venationibus intentus, pleaque etiam reip. negotia ad Bernardum cubicularium Hispanum hominem, idèque Francis invisum, administrabat. Quem cum adulteræ Reginæ Judithæ amoribus sentirent implicitum, perque illius blanditias cor Regis ad omnem nutum versari Proceres filii, inprimisque Pipino, persuaderent, natumque ex ea Carolum imperio educari traderent, facillè horum in patrem animos concitarunt.

830. Pipinus Juditham Novercam adulterii insinulatam à Patre abstrahit. Et hoc quidem Pipinus occupato, Juditham abstractam latere cum filio, per Jessen Ambianensem Episcopum, monasterio inclusit: patrem sub custodia tenuit, Bernardo fugâ in Septimaniam evadente. Lotharius in subsidium à Patre evocatus, conjuratorum ad partes inclinari, dissimulanter tamen, coepit. Ludovicus pari arte, ceu non invitus monasticen amplexurus, Neomageni omnes conventu apud Batavos, velut dispositurus cum proceribus de regno, adesse filios, sed absque milite, iussit. Ubi, cum Germaniæ principibus faventibus uteretur, postquam & filios, & Episcopos Francorum, rebellionis autores, haberet in potestate, illos paternè admonuisse, horum quosdam, in quibus Jesse, per reliquos

Ludovicus filiis in potestatem redactis parcit.

reliquos fideles exautorasse satis visum est. Juditham Aquisgrani, post vindicatam in iudicio pudicitiae famam, ipsoque purificationis festo die absolutam, in thorum recepit. Et Bernardus se eidem stitit Theodonisvilla, atque accusatore ad duellum (qui id temporis mos purgandi) provocato, cum nemo appareret, ad officium rediit. Verum illa Imperatoris, cum in manibus rebelles essent, mansuetudo tanquam mel in felleo corpore, bilem non extinxit, sed exacuit, opportunè in novum seditionis morbum eruptura. Nam Pipinus, iam Bernardo ad sua sibi consilia sociato, in Aquitaniam, invito Patre, digressus, nova repente moliri coepit; sed cum Ludovicus maturis nondum rebus à tergo insisteret, eisdem rursus supplex Pipinus nihil gravius passus est, quam ut Treviros in custodiam amandaretur. Ubi jam non Amalherius, sed Hetti praesidebat, ut supra meminimus. Unde illa quæ de Amalherio à Brovero & supra de oblatis officiorum hoc tempore libris, ac de Romana ad Pontif. Legatione, atque hic de morte ejus disseruntur, ad alium Amalherium, Ecclesiae Metensis virum, doctum juxta piumque, sunt transferenda, ut ex ipsorum contextu manifestum est.

Hetti verò, illustris, cum generis, tum vitæ, sororem Monialibus Palatiolanis juxta Treviros præpositam, hoc tempore floruisse argumento est, repertum, his versibus:

Hic Warentrudis nimium veneranda quiescit

Abbatissa; animam sed paradisis habet.

Hetti Pontificis fuerat soror, Amita Magni

Tietgaudi Domini, magnificique patris.

Cujus Germanus vir clarus in omnibus extat:

Nomine Grimaldus, ore & honore potens,

Quique jubent titulum scribi pro munere amici.

Illius ut nomen tempora multa habeant.

Videtur idem hic Grimoaldus esse, quem Wallafridus Strabo, suo in carmine inter Palatinos Ludovici Imp. celebrat

831.

Juditham iudicio purgatam recipit.

832.

Pipinus iterum rebellis Trevis custoditur.

Libri officiorum ad Imp. à quo scripti.

Sororis Hetti Epitaphiū.

S. Ansgarius
primus Ham-
burgensium
Episcopus
creatur.

celebrat, bello ac pace strenuus. Sed Hetti hoc anno, quo S. Ansgarii Danorum Sueonumque Apostoli late ad conversionem barbararum gentium fama inclaruit, cum Drogone Episcopo Metensi fratre Cæsaris, tum Odgario Moguntinensium, & Ebbone Rhemensium Archiepiscopis, iussus est Ansgarium primum Hamburgensibus creare atque imponere Archiepiscopum, qui septentrionales hosce populos autoritate suâ, ex Romanæ, Ecclesiæ instituto, moderaretur.

833.
Filii junctis
copiis rebel-
lantes, Ponti-
fice frustra
interceden-
te, Patrē Imp.
& Novercam
capiunt, &
utrumque ad
monasticen
cogunt. ex
Ebbonis Ar-
chiep. Rhe-
mensis sen-
tentiâ.

Anno insequenti novis acti rebellionis adversus patrem furiis Lotharius Pipius & Ludovicus Ebbone Rhemensium aliisque Episcopis cupiditatem inflammantibus, arma junxerant, nec segnis Ludovicus Germanorum secum & Austrasiorum exercitum Argentoratensibus in campis objecit, quando Gregorius IV Rom. Pontifex, oppositis jam copiis, mediator opportunus intervenit. Qui cum primum ad filios divertisset rebelles animos compositurus, atque illi simulato pacis amore illusissent Pontifici, Ludovicum eâ imbuere opinione, quod causæ filiorum Gregorius faveret; fomenta ad hanc alendam subministrantibus adversariis. Unde, ductâ longius controversiâ, sollicitati Imperatoris Duces arte donisque, cum plures filiis militem jungerent, desertus atque impar bello Ludovicus, cum filio Carolo & Juditha conjugē in potestatem rebellium venit. Et hæc quidem in Italiam procul Dortonam est ablegata, veloque rursus abdita. Illi à Lothario captivorum specie per Franciam ducti sunt, Ludovico in S. Medardi apud Sueffiones monasterium redacto, postquam is sententiâ Episcopali, Ebbone Rhemensi Præsīde, damnatus esset, atque indignus regno pronuntiatus, ideoque ante aram discinctus gladio, ac scelera, quæ non fecerat, imperata confessus, purpuram cilicio cuculloque mutasset. Indoluit Pontifex tantum se filiorum impietate delusum, campusque ubi deceptus est mendacii dictus fuit. Erubere & Austrasiæ proceres, ad tantum suæ gentis dedecus præbrumque.

Ipsē

Ipse etiam Pipinus à Drogone Metensi impietatis, Drogone
 nullo suo emolumento exercitæ, commonitus, cum ra-
 pere ad se fratrem Lotharium omnia cerneret, consci-
 entia scelerum, cum Ludovico fratre tractus, tribus ra-
 ptim exercitibus, ex Francia, Burgundia, & Aquitania
 ductis, Lothario sese obiciunt, armaque, ni patrem pri-
 stinæ reddat dignitati, ostentant. quando ipse, quem pul-
 latum secum trahebat, Ludovicus medius, fratrum se-
 se opposuit armis, monuitque non alia se lege priora
 dignitatis insignia admitturum, nisi per Episcopos ad-
 emptores declaretur innocens, ablatumque cum fama
 honor restituatur. Nec mora, Parisiis ad S. Dionysii
 basilicam iaductus à Drogone Metensium aliisque Epi-
 scopis, damnata priori sententiâ, criminumque obje-
 ctorum pronuntiatus insons, pullatâ exutus veste, pur-
 purâque ac baltheo gladioque ornatus, ingenti lætitia
 populi repentè novus Imperator, ceu mutatâ per co-
 mœdiam scenâ, apparuit. ipsaque sub cœlo elementa
 hoc iudicium probare visa sunt, quando ex fœda &
 jam diu sæviente tempestate, exundantibusq; ubiq; flu-
 minibus, & serenari aer, & aquæ residere, totique re-
 dire tranquillitas orbi cœpit.

Fuere, qui Lotharium persequendum, Patrique in-
 vinculis sistendum rati sunt. Sed horum averfatus Lu-
 dovicus consilia, tempus firmandæ iterum rebellioni
 indulfit. At Pipinus cum Ludovico in patris gratiam
 amplexumque receptus, ferro flammâque in Neustria
 grassantem, junctis copiis, Aureliano in agro pressum
 Lotharium ante patrem flitère supplicem, qui solis ver-
 bis castigatum remissumque in Italiam, eâ sese conti-
 nere iussit.

Tantum paternus amor filiorum reverentiam supe-
 rabat. Theodonisvillano deinde comitio depositoriis
 Episcopis abrogata dignitas, quam Ebbo coram, excu-
 satione ab Hetti etiam Trevirorum Archiepiscopo re-
 jecta, abdicare, exilioque permutare iussus est. plerique
 reliquorum, ut Jesse **Ambianensis**, Helias Treassinus
 Episco-
 835.
 Autores con-
 jurationis in-
 tra annum
 moriuntur.

Episcopus, Walo Abbas Corbejensis, Malfridus, Hugo, & Lambertus, Agumbertus Pertensis, Ricardus, Comes, ac Borgaretus regiae venationis praefectus, intra annum pestifera lue sublatis, Deo neglectam ab Imperatore vindictam perfidae conjurationis exigente.

Juditha Ludovico red-
dita.

Juditha, rursus ex Italia, monasterioque ad aulam redacta, pristinum quoque honoris locum occupavit; cum Ludovicus, ut poterat, turbatis domi forisque reip. rebus novis comitiis, legibus, decretisque consulebat. Ne vero Legati, seu Missi, ut vocabant, Dominici, immoderatis subditos gravarent sumptibus, praescriptum

Annona Legatis praescri-
pta.

legimus: *Episcopo venienti, pro victu, panes XL. Friskin- ga, seu assaturae tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova XV. annona ad caballos modii IV. prae- bitor.* Ita curae Ludovico erat, ut suis quaeque legibus circumscriberentur: utque necessitati praesidium, & cupiditati terminus statueretur. Ubi quod Wandelbertus è Prumiensi monasterio hujus temporis scriptor memorat non videtur negligendum. Dum enim ultro ci-

Ludovicus Imp. à S. Go-
are in podag-
ra morbo
levatus.

troque, per Trevirorum fines, Imperator comitat, ac secundo Rheno ad S. Goarem pro more appellit, ex podagrae doloribus, vix inter sustentantium manus ad oratorium eniti poterat: ubi vero surrexit (verba auctoris sunt) ab oratione, ad Abbatem, & clarissimum virum Gerungum, olim palatii adilem, nunc monachum, conversus, Deo, inquit, gratias, nunc meritis S. Goaris levamen mihi datum persentio. neque eo jam, quo huc veni dolore laboro. Sic à memoriâ regressus, letus & alacris diem totum duxit. Hac ipso Abbate, qui coram adfuit referente cognovi. quanquam nec ego ipse multum absum. qui pridie ejus diei Imperatorem, praedicto dolore gravissimè laborantem, in palatio (Ingelheimensi) viderim. Adeò frequentia hac ætate erant in omne hominum genus S. Goaris beneficia, tam benevoli veneratoribus, quàm contemptoribus terribilis.

S. Castoris
collegium

Nec Hetti Archiepiscopo, per quietem à S. Materno commonito, ut honori S. Castoris Cardonensi in Eccle-

fia deposito consuleret sanctius, Reliquiis ejusdem ad Confluentiæ
 Confluentes Rheni Mosellæque delatis, favor ac libe- ab Imp. fun-
 ralitas Imperatoris defuit. siquidem basilicæ illic mag- datum.
 nificè instruendæ opem opesque contulit. quâ perfectâ,
 atque in honorem Sanctorum omnium Divique Casto- 837.
 ris consecrata, frequenti pompæ spectaculo oïla viri san-
 cti illata sunt, Canoniconumque, sacra istic ministeria
 hodiedum obeuntium, Collegium Ludovici munifi-
 centiâ est institutum.

Inter hæc Cælum nova siderum feralium inductione
 visum est calamitatum imminentium mortales commo- Cometa ge-
 nefacere. Nam & Aquis Ludovico versante Cometa minus.
 insigno virginis, & Carisiaci anno proximo, ubi Caro- 838.
 lum ex Juditha Neustriæ regno inaugurat, alter in scor-
 pio visendum se præbuit. Ille Nortmannorum in Fri- Nortmanni,
 siam Bataviamque ac Belgicam, exciso Doretrato, An- & Mors Pi-
 doverpo, & Witla, irruptionem; hic Pipini Regis mox Pipini.
 consecutam mortem prænuñciavit. ad quam, cum Lu-
 dovicus, velut sibi præsentem, curas disposuisset, filius
 ante patrem vocatus est. Is Mortis hoc in orbe lusus
 est, ferire sæpe alios, quam quibus jam ante minabatur.
 Ergo Ludovicus, vocato ex Italia Lothario, Worma-
 tiensi Comitio, quidquid à Mosa in Austrum vergit, id
 eidem nova regni partitione tribuit; Carolo verò quid-
 quid respicit occidentem.

Læti illi, imprimisque sua sorte Carolus; sed Ludo- An. Chr. 839.
 vicus solam Bavariam sibi tantum relictam esse indig- In reliquos
 natus, bis arma hostilia in fratres patremque corripit, Ludovicus
 bis eisdem, à patre tempestivè obvio, victus, & in gra- Imp. filios
 tiam receptus est, jam usitatâ filiorum temeritate, & pa- regna parti-
 tris clementiâ. Quæ tamen eidem postrema in vita tur. & Ludo-
 fuit. Etenim in Rheni insula, Moguntia Ingelheimio- vicum filium
 que vicina, Odogario Moguntiorum, Hettique Treviro- invitū cogit.
 rum, ac Drogone fratre Metensium Episcopis præsen-
 tibus, ad extremam ritè comparatus, memorabili pietatis
 exemplo, per quadraginta dies nullo nisi Eucharistico
 cibo refectus dicitur, ac demum, ceu ultimo hoc expia-
 tus 840.

Sanctè moritur, & Metas ad sepulchrū transfertur.

Liberalitas ejus in Trevirenses.

Lotharium monarchiam ambientem fratres repellant.

341.

Fraternæ acies crudelissimo Marte configunt.

tus jejunio, desuisse vivere. Cujus si ingenium spectes pacis illud, quàm belli magis artibus idoneum, cum semel nimia peccasset severitate, sæpe postea deliquit clementia. quâ dum pacem cum filiis sectaretur, suâ plerumque expectatione falsus, novam bellorum dedit materiem. ceterum inviolatâ thori castimoniâ, & pietate inter Francorum Reges eximius.

Funus optimi Principis per Treviros à Drogone Metas deductum in D. Arnulphi basilica, juxta Matris Hildegardis ossa, justis funebribus depositum est. Multa, etiam in agro Trev. suæ reliquit pietatis monumenta. Nam præter Collegium S. Castoris Confluentinum, munificè dotatum, D. Paulinum juxta urbem, Massolterio pago cum parœcia prædiisque eodem pertinentibus, locupletiolem reddidit & omnium vectigalium immunitatem Hetti Archiepiscopo concessit. His monumentis, quam urbium bello devictarum, apud omnem retrò posteritatem futurus gloriosior.

Lotharius, à patris morte, ex Italia subito advolat, raptisque quæ poterat, armis, & proceribus in suas partes abductis, quasi monarchia Galliarum uni tantum, & majori natu filiorum jure debita, vindicandaque esset, omnia occupabat; ac simulatâ tantum cum Carolo primùm amicitia, ne utrorumque in se verteret copias Ludovicum aggreditur, atque hunc, ut imparem facillè ad tutiores Baviaræ latebras redigit, moxque totam belli molem in Carolum vertit. Quare Ludovicus, absentia fratris ad instaurandas vires usus, coactò ex Germanis quanto potuit milite, Odgarium Moguntinensem Præsulem & Adelbertum Austrasianorum Ducem sibi obnisos perfringit ac dissipat, & Carolo sese laboranti adjungit. Quo cum anno insequenti, apud Fontaniacum in finibus Altisiodorensium, castra castris obijciunt, cumque intractabilem pace deprehenderent Lotharii animum, consanguineas inter se acies tanto furore collisere, ut pertinaci utrimque pro victoria Marte contendentes, præcipuum Franciæ militiæ robur, frater-

fraternis odiis, ambitionique turpiter exsatiandæ, immolarint. Lotharius tamen inferior justas suæ pertinaciæ pœnas dedit. Verùm ubi nondum acquiesceret victus, majori rursus militum delectu, & Carolomanno Ludovici filio roborati, Odgario nequicquam resistente, per Confluentes ducto exercitu vires cumulant, ut Lotharius impar Viennam Allobrogum, ut propius abesset Italia, sese recepit, passusque est regnum fratres inter se partiri. Ne tamen exortem vellent, perpetuamque bellorum materiem Germanos interficerent, altero anno hac divisionis lege pax constitit: ut Carolus possideret omnia quæ Britannici maris littore ad Mosam usque continentur, Ludovicus quidquid trans Rhenum latè per Germaniam in orientem terrarum porrigitur; Lotharius verò præter Italiam, Provinciam, Burgundiamque ac Belgicam primam, illam Austrasiæ partem, quæ ab illo hodie dum Lotharingiæ nomen retinet, Mosamque inter & Rhenum in Boream excurrit, cum Augusti Imp. titulo obtineret, Pipino verò nepoti cederet Aquitania. Quæ subinde divisio, Comitibus Viriduni institutis, communi Procerum assensu, juratâque ultro citroque fide, est confirmata, ac Ludovicus Germaniæ, Carolus Franciæ, Pipinus Aquitaniæ Rex dictus, Lotharius verò imperator est salutatus. Ex quo hic Metis substitit, ceteri in sua quique regna abierunt.

Vix obtinuerat imperium Lotharius, & fastidire jam coepit, illasque volvere animo mutandæ vitæ rationes, quas denique est executus. Quare filium Ludovicum, cum Drogone patruo adolescentiæ moderatore, misit ad Sergium Pont. recens cathedræ præfectum, ut augustalia ab ipso insignia capesseret. Qui ita ingressi sunt, ut infesto milite pontificias ditiones, tanquam sibi debitas, pervaderent. Sergio, ut ab armis imparato, omnia dissimulante, & utrisque deferente; Drogoni etiam Archiepiscopale pallium, & vicariam per Gallias potestatem indulgente. quâ jam senem diu usurum non crederet. Et evenit sanè, ut eodem anno reversus titulum

Lotharius iteratò presus cedit.

842.

In partitionē tamen admisus, Imperatoria dignitate ornatur.

843.

Imperii coronam filio Ludovico indulget.

844.

Drogo Met. cum Ludovico Papæ tituli mendi, omnia obtinent.

lum hunc repentè in tumulto Metis condidit, quem armatis magis, quàm honoratis precibus occupaverat. Ludovicum deinde emollitum Pontifex coronâ tam Longobardicâ, quam Romanâ ornatum, à se in Franciam avertit; donec sub Leone IV Pontif. reversus, bellum contra Saracenos, per Italiam invalescentes, sat diuturnum auspiciatus est.

Et Marquardus Prumiensium Abbas, quâ apud Lotharium valebat autoritate, acceptis ab illo litteris Romanam ad Sergium contendit, pro Sanctorum Reliquiis ab eodem impetrandis, quibus Austrasiorum pietatem accenderet, templorumque auget frequentiam. Nec tergiversatus Pontifex SS. Chrysanthi, Dariæ, Eusebii, Marii, Audifacis, & Abbacuc, Marthæ, Primi, & Feliciani, Gordiani, & Epimachi, ac Pontiani Martyrum, & B. Lupiani Confessoris pignora, liberali donatione transferipit. Quo thesauro auctus lætusque ad suos rediit, nec Prumiensem tantum, sed & alias Ecclesias locupletavit; imprimisque Monasterium Eiffliæ à se excitatum, & biennio post Sanctorum Chrysanthi & Dariæ corporibus dotatum. quod suis ipse Abbas sumptibus, ad perpetuum Canonicorum usum, instituit. qui tunc quidem Prumiensibus subditi, nunc ad Juliæ Principis ditionem transferunt. Quo tempore idem Marquardus Wandelbertum literis mandare voluit illustre S. Goaris præsidium, quo Matri supplici ad tumultum adstitit, puerumque septennem, mutum, claudum, surdumque, in præsentia populi ingentis, qui ad solennem depositionis ejus diem confluerat, cum gaudio omnium plausuque integritati restituit; simulque puellam oculis orbatam parentibus ductoribus, eadem luce jam ducem illorum futuram, reddidit. ut una hæc dies æternæ memoriam (cum qua pridie Non Julii suas etiam Ephemerides Wandelbertus clausit) non immeritò consecratur. Atque utinam pari diligentia posteri cultum hujus observationemque Divi prosecuti factis essent, literisque. Quam seculo proximo emergens Lutheri Calvinique hæ-

Marquardus
Abbas Pru-
miæ varias
Româ tradu-
cit reliquias.

An. Chr. 846.
Collegium
Canonicorū
Monasterii
Eiffliæ fun-
dat. in hono-
rem Chrysan-
thi & Dariæ.

S. Goaris be-
neficio resti-
tuti sanitati.

hæresis pessum dedit: Ut nunc sine honore locus, solumque hinc translatum Confluentiam S. Goaris brachium, argentea in theca, cum hac inscriptione observetur:

Panditur ignaris, quod sint hæc ossa Goaris.

Sequenti porro anno, cum Leonem IV Pontif. à Sergio morte excepisset, restitui Lotharius postulavit Ebbonem in Rhemensem Ecclesiam adversus Hincmarum, qui Carolo Rege instante, per Synodum Belluacensem electus substitutusque Clero suffragane in Archiepiscopum fuerat. Quare Synodus Treviris à Sergio indicta, Lutetiam translata est, sed contra Ebbonem pro Hincmaro judicatum. Qui & acquievit sententiæ, atque à S. Ansgario, cui se in conversione Danorum junxerat, Hildenesheimensi Episcopatu donatus memoratur, annoque salutis 851. defunctus.

Hetti subinde ad Moguntinam profectus Synodum, cui Rhabanus, ex laudatissimo Fuldensium Abbate recens creatus Archiepiscopus loci, præsidebat, subscripsit damnationi Godescalci Presbyteri, qui de SS. Trinitate, libro hominis arbitrio, prædestinatione, aliisque novam commentatus doctrinam fuerat, Calvinoque præluserat; sed maturiori Germaniæ Episcoporum judicio, Lotharii ac Ludovici principum vigilantia opprimendus. Quando furtim, ignoscendoque crimine, ex Romana SS. Martyrum Marcellini & Petri æde, à Theotgiso Monacho, ossa Helenæ Augustæ sublata, atque in Belgicam ad Monasterium Altvillarense, non sine miraculorum, recensita à Flodoardo, gloria, deportata sunt, ac demum inde caput, ad natale ejusdem solum, Treviros traductum, metropolitana in basilica pie asservatur.

Tandem verò Hetti Archiepiscopus mortali hac statione decessit, ad S. Matthiæ extra urbem Ecclesiam juxta Rutgandum fratrem, celebratæ nobilitatis virum, depositus. Prudentia illum virtusque Ludovico Imp. imprimis conciliarat, ut autoritate consilioque inter-

P

847.

Hincmarus
pro Ebbone
Archiepisco-
pus Rhemen-
sis institutus
contra hunc
persistit.

*Hildesimensi.

An. Chr. 848.
In Synodo
Moguntina
damnatur
hæresis Go-
descalci.

849.

Reliquiæ S.
Romæ in Bel-
gium, & Tre-
viros caput
S. Helenæ
transfertur.

850.

Hetti Archi-
episc. præcla-
ra factorum
memoria re-
lictâ, extin-
guitur.

aulæ emineret proceres. Unde & Indominitatum, seu beneficium legationis, cum annexis eidem feudis, obtinuisse primus fertur, aliosque viros principes diversis per Archidicefin, ad maiorem defensionis securitatem, feudis sibi ac Monasteriis devinxisse. Cujus deinde vestigiis posteri inhæserunt. S. Paulini Clerum in Wadriola & Reinonis Campo, ex concessio sibi, ut ajunt, Indominitato, beneficiis multis auxit; ut non nisi ad erogandum accepisse videretur. Epternacensi eundem Monasterio sexennio præfuisse memorant, ut patria quidem, at præcipuè religiosorum pater dici potuerit. Unde & suæ stirpis successorem *Thietgaudum* ex fratre nepotem, lubente vulgo, habuit, suâ tamen, quam nepotis virtute ac felicitate futurus celebrior. Nec immitius cœlum hanc electionem probasse visum est, quando & aëris inclementiâ, & ingenti annonæ deficientis malignitate ad eum miseris flagellare mortales cepit; ut ad obscenas passim escas, infantumque, in edulia cæsorum, dapes parentes desperatos abjiceret, ac poena jam esset vivere, non nasci beneficium.

851.
Thietgaudus
nepos impari
felicitate
succedit.

852.
Nortmanni
admissi in
Gallias.

853.
Bona Eccle-
siæ malè à
Carolo ad
profanos
aversa.

Nortmanni subinde afflictæ gentis reliquias oppressuri, quâ se pinguior ostentabat Galliarum fortuna, et Normannia quam Carolus Rex illis ante biennium fringere in Gallias, sub Godefrido Duce, temerè permiserrat, sese locustarum instar effuderunt (torpentibus ad Regibus, tanquam in plures, sparsa potestas degeneraret ad impotentiam) ac Nannetensem, Andegavensem & Turonensem urbem agrosque cum plurimorum excidio depasti, ad suos reversi sunt. ubi tamen mutuâ invidiâ, atque insectatione, bono Francorum, sese invicem attriverunt. Magna Caroli ignaviâ, qui ad Ecclesiasticorum magis Præsulû bona occupanda, quam avertendos hostes strenuam manum admovebat. Unde in diversis perstrictus synodis, recta magis audire consilia quàm sequi est visus. quod difficilè esset viscosis illis procerum manibus semel indulta, rursus subducere.

Infam

Infame hoc anno commentum Monachus quidam Marianus, Scotus à patria dictus, Moguntiaë suo in Monasterio, post ducentos & amplius scribens annos (ut inter tales miræ feruntur, & facile creduntur fabulæ) imperitè protrusit. Videlicet Joannam hoc tempore Romæ sedisse Pontificem. Quem deinde ceu in re nova multi scriptores consecuti sunt, feminamque hac in sede collocarunt. Cum tamen manifestum sit, illo adhuc anno Leonem præfuisse, urbemque novam, quàm recens D. Petri Basilicâ inclusâ muris adversus Saracenos munierat, & à se Leoninam dictam anno superiori consecrarat, locupletius excoluisse; tum Romanæ synodo hoc anno, præsentibus Lotharii & Ludovici Imperatorum legatis, & 67. Episcopis præsedisse, ubi 72. canones de Ecclesiastica disciplina formati sunt. Sequenti verò anno salutis 854. constet, quod urbem centumcellensem, à Saracenis dirutam rursusque excitatam, in honorem SS. Trinitatis consecravit, cui & Leopolis nomen relictum est. Legatioque ad eum ab Ignatio Constantinopolis patriarcha missa fuerit, quâ Concilii istic Episcopi approbati rogabat. Quod cum Leo, parte inaudita altera, fieri posse negaret, proximoque anno moreretur, res ad successorem delata est Benedictum III qui eodem anno subiit, ut ex manifesta Anastasii presbyteri à Leone excommunicati rebellionem, dum sese in sedem intrudere conatus est, compertum est. habetque res testem, omni exceptione majorem, Anastasium bibliothecarium, qui his ipsis scriptor interfuit. ut stultum prorsus sit, solitario uni Monacho, tam procul, & loco, & tempore absenti, & sub Henrici III schismate, quando adversus Rom. sedem plurimi verbis factisque conjurabant, tam aliena ab omni similitudine veri scribenti, assentiri. Quæ si nota fuissent, tot Mariani sectatoribus, suo erubissent scriptores dedecore, ac temeraria nimium credulitate. Non quam rara, sed quam vera scribantur, prudenti historico videndum est.

An Romæ
Joanna Pont.
præfederit?

Urbs Leonina nova.

Synodus Romana sub Leone.

854.

Urbs centumcellensis ab eo instaurata

855.

Consule Baron. ad an. Chr 853 & c.

Lotharius
Imp. relicto
filiis regno,
in Monaste-
rium Prumi-
ense abijt.

Sepultus an-
te aram à se
excitatam.

Lotharius
junior Au-
strasia Rex
Waldradam
Legitimæ
Thietbergæ

Lotharius tamen Imperator rarum de se præbuit hi-
storicis narrationis exemplum. qui, quàm ante annos
aliquot insatiabilis imperandi, nullam cupiditati com-
mensam suæ reperiebat terrarum partem, tam nunc
fastidians aspernebatur omnem; ut convocatis regni
optimatibus, provincias in tres filios partitus sit, Ludo-
vicoque Italiam, Carolo minori natu Burgundiam, me-
dio Lothario Austrasiam reliquerit, ipse dein unius Pru-
miensis Monasterii, inter asperos Eiffliæ montes silvali-
que siti, angustiis, sese ad anteaectæ, rebellisque in pa-
rentem fratresque, vitæ pœnitentiam inclusit; sanè,
tanquam monitus de cœlo, opportunam: quando ejus-
dem anni spatiis pœnitentiam vitamque conclusit.
mortalisque Reges docuit in cilicio feliciter, quàm in
purpura eandem absolvi. Regalia eidem Monasterio
munera in auro gemmisque ac Reliquiis SS. illustribus
intulit, tabulasque, in Archiepiscoporum Thiergandi
Trev. & Rutgandi Arelatensis præsentia, donationis
oblata, confecit: quibus sigillatim omnia, apud Bro-
verum in hunc annum, exponuntur. Decessit III cal.
O&ob. Sepultus modesto tumulo ante aram Animarum
omnium recens ab illo excitatam Rhabanus Archiep.
Mog. hoc illi Epitaphium suis versibus condidit, Epi-
scopus tamen, quàm Poëta melior:

*Continet hic tumulus memorandi Cesaris ossa
HLotharii, magni Principis atque pii.
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipsis,
Omnia sed sprevit, pauper est hinc abiit,
Nam bis tricenos Monachus sic attigit annos,
Et se mutavit, ac bene post obiit.*

Lotharius junior filius Austrasiæ Rex cum adole-
scens Waldradæ aulicæ puellæ, quæ Guntharii sacella-
ni & Archiepiscopi Coloniensis neptis erat, insuevisset
amoris, Pater ab hac cum licentia ad stabile connu-
bium traducturus, cum Thietberga Huberti Acepthala
Comitis

Comitis sorore junxit. Quanquam alii à morte id patris factum sentiant, Huberto potissimum impellente, An. Chr. 856. Certè hæc thalamo juncta, & detrito sensim amore, recurrentibus pristinis cum Waldrada illecebris, fastidita, ingentem Regi regnoque, ut post constabit, cladem dedit.

Cælum ipsum insolitis tempestatibus ac fulminum excussorum vi, quâ & Colonia, & Treviris, quarum capita petebantur, magnopere conterrita est, præcludere videbatur.

857.

Principio Lotharius pietatem ostendere, litare Manibus parentis, Episcopis etiam bello afflictis adesse. ut testari potest diploma Hungero Trajectensi Præsuli à Nortmannis graviter afflictio datum, quo illi Bergense Monasterium S. Petri ad Ruram liberaliter transcribit, anno regni III Christi DCCCLVIII Indictione VI Prumiæ.

An. Chr. 858.
Trajectensi
Ecclesie be-
nefacit.

Sed nec bello, quo patrum, Ludovicus Rex Ger. & Carolus Franciæ collidebantur, misceri prudens voluit. & hic quidem, non levi periclitatus discrimine, præcipuum in fuga præsidium habuit, donec Franciæ occupatæ proceres, animo rursus ad Carolum verso, indulgentius hujus imperium præoptare, eumque ad se revocatum amplecti cœperent. Tum & apud Antonacum infra Confluentes, & Wormatiæ & Basileæ, de regni finibus concordiaque disceptatum est, & Synodus Galliæ Germaniæque Episcoporum, juxta Tullum in villa scarponaria, convenit, in qua Thietgaudus Trev.

859.

Inter patruos
bellantes
medius est.

Archiep. cum Arnulpho Tullensi & Adventitio Metensi Episcopis suffraganeis, præter Guenilonis Senonum Archiepiscopi, conjurationis adversus Carolum delati, causam, etiam Hattonis Virdunensium Episcopi suffraganei electionem expenderunt, veteremque inter se, per bella labefactatam, unionem, Lothario inter fratres medio, sanxerunt.

In Synodo
Trevirensium
Episcoporum
concilium
liantur.

Ipsè etiam cum Ludovico Caroloque patris Confluentiæ in templo S. Castoris, in Synodo Episcoporum,

860.

Iterumq; in
Synodo Con-
fluentina
sanctius fe-
dus incunt.

Epist. Nicol.
15. q. 6. c. 2.
Thietgaudus
juramento
solutus.

Waldradam
Lotharius
pro Thietber-
ga Reginam
creat.

An. Chr. 861.

Instruitur in
Thietbergâ
calumnia.

862.

Damnatur in
Metensi Sy-
nodo à Tre-
ver cis & Co-
loniensibus
Episcopis.

rum, pacis firmiter sancienda gratia, memorabili com-
tione sociati sunt, Legibusque ultro citroque latis, com-
muni omnium, quâ Ecclesiasticorum, quâ secularium
saluti consulere. Hac tamen à Synodo, cum Tei-
gaudus abfuerit (nisi valetudo obstiterit) creditur illa
captivitate hostium irumpentium abstractus, quâ, cum
Præposito Cleroque conclusus, jurejurando se illis ob-
noxium reddidit. Quo, ut iniquo, postea à Pontifice
Nicolao est absolutus, jussusque utroque tum spirituali,
tum corporali gladio iniquos persequi, & amissa Ec-
clesiæ bona revocare.

Otium subinde libidinis nativæ fomentum Lothu-
rium jam pluribus feminis inhiantem corruptit. Wal-
dradæ is rursus illecebris olim degustatis capi, utque
unius amor alterius fastidium generat, averfari Thietber-
gam cœpit. Guntharium igitur Colonienfium Antistit-
tem, ut vafum, ita nec inexpertum consulit; num qui
excuti via Thietberga thalamo possit, id si opera ipsius
consequatur, Waldradam se neptem in thorum Regi-
næque titulos admissurum. Quærentur ultrò citroque
divortii causæ, & quanquam valida censeretur, si Wal-
dradæ se prius ut conjugii assueffe diceret, probatu ta-
men facilior illa visa est, quâ Thietbergam ante Regi-
næ connubium à fratre violatam esse obtendebatur, quod
ad illius delicti confessionem Thietberga induci possit
est credita. Guntharius suo, & Waldradæ hono-
consulturus, Synodo Episcopali rem agendam deciden-
damque judicat, eumque in finem Thietgaudum Ar-
chiepiscopum Trev. hominem minimè callidum, & ce-
nonum rudem, autoritate tamen validum sibi adjungit.
reliquos suffraganeorum Episcoporum facillè inducitur,
tanquam secutura membra, ubi capita præcessissent.
Metis igitur indicta Synodus, ubi Adventitius Episco-
pus Thietberga inducta, relationem instituit. quâ Lo-
tharium, & ante Waldradæ connubio patris voluntate
junctam & Thietbergam fratris Huberti suafu metis
que superinductam, & hanc publicâ jam famâ fratris
incest

incestu contaminatam docet constare. Quod facinus, cum denique subornatis mala fraude testibus pressa, adversariis ultro concedere videretur, iudicatum à Synodo fuit, justè illam regio depelli matrimonio, neque ulterius deinde mariti thalamo admittendam. Qam deinde sententiam, nixi potissimum incestu, in Aquisgranensi conventu idem Guntharius & Thietgaudus cum Adventitio Metensi, Hattone Virdunensi, Arnulpho Tullensi, Francone Tungrensi, Ratholpho Argentinensi, & Ungario Trajectensi iterarunt, aliudque eidem Lothario indulserunt matrimonium. Quare evocatam Waldradam sibi copulat, solennique applausu Reginam jubet salutari. Verùm & illius, haud post multò, libidine exsatiatus, ubi Nicolaus Pontifex & fulmen anathematis è Romana cathedra minaretur, & fratres propinquire Thietbergæ in ultionem coorti ostentarent arma, pari levitate & Waldradam ejecit, & Thietbergam, iudicio Episcoporum aliorum criminis absolutam, pro conjugè recepit.

Iterumque
in Aquisgranensi.

Pontifex
Rom. Nicolaus damnâ-
res Episcopos
damnat, &
Thietbergam
recipitur.

Ad consuetas tamen Waldrada illecebras, & Rex cupiditates reversus, solita illam vecordia repetere, & Thietbergam eliminare ausus est. Gunthario, ut nuper à se ejecto, ita & nunc revocato, non sine vulgi ludibrio, quod turpium amorum Episcopus factus esset appendix. Causa ad Nicolaum Pontificem ab utriusque partis Episcopis Proceribusque delata est, ipso Lothario omnia summo Pontifici, simulata submissione deferente.

Qui cum ad causam propius explorandam, Rodoaldum Portuensem, & Joannem Fidiculensem legatos destinasset, & hi auro consiliisque Lotharii obsecuti, malignè Pontificis animum pertentarent, is fraude agnita, multò gravius in Lotharium exarsit, Gunthariumque & Thietgaudum sui ac Regis purgandi gratiâ, in Lateranensi Episcoporum Synodo, post Metense & Aquense synedrion exautoratum, damnavit, atque episcopali honore, sacerdotique functione privatis, laico tantum more Ecclesiæ usum indulsit. Qui tam acri confixi

863.
Rursum à
Lothario eji-
citur.

An. Chr. 864.
Legati Pon-
tif. à Lotha-
rio corrupti.

865.
Thietgaudus
& Guntha-
rius, in Late-
rana Synodo

exautorantur, damnata Metensi & Aquensi Synodo.

866.
Waldrada excommunicatur, Thietberga recipitur.

867.
Lotharius cum fautoribus Romam venit, & sacrilegè communicat.

868.
Cum omnibus divinitus punitur, & extinguitur.

869.

sententia, licet ad Ludovici Imp. tunc Italiæ immortatis præsidium, atque arma confugissent, isque cum exercitu Romanis, Pontificique vim intentasset, nequam tamen ad omnia immotum Nicolaum percalit. Quin Lothario, ni eiecta Waltradâ, locum Thietbergæ daret pristinum, anathematis fulmen per Arsenium legatum denuntiârit. Waldradam quoque cum Engiltrude ejusdem levitatis adultera, & incentrice femina execrationi, omnesque fautores divortii, subjecerit. Ergo Lotharius Thietbergam coactus recipere, pessimè habuit, coëgitque demum Pontifici scribere, quod nuptiis renunciaret, ultróque Waldradæ cederet. Indignatus Pontifex & sibi & feminæ ita illudi, spem omnem Waldradæ restituendæ abscindit. Cumque ipse Lotharius per Adventium Episcopum Metensem Legatum jam Romanis conciliatum se offerret ad satisfactionem Romæ præstandam, id Nicolaus quidem negavit, Adrianus tamen successor anno salutis 868. indulxit. Magno igitur Episcoporum procerumque sibi inprimis faventium, in quibus & Thietgaudus noster, urbem adiit, ac perquam exceptus honorificè, manè ad D. Petri ædem Eucharistiæ participandæ gratiâ invitatur, cùmque se executum à Nicolao imperata, diceret, ac porro obsequi Sacræ sedis judicio paratum, proceresque annuerent, Adrianus, peracto sacrificio, corpore Domini in manus sumpto, hic illud sententia Regi offert: *Age fili, si, ex sententia Nicolai, adultera renuntias, sit tibi hoc sacramentum in salutem; si minus, cave ad internecionem accipias.* Proceribus verò inquit, *si in flagitio Regi imposito non favisti, nec Waldradæ diris devota communicasti, presit tibi hoc mysterium ad vitam æternam.* Et videri tragicum hujus spectaculi finem, in prodigiis suæ salutis, ob solam Regis gratiam, hominibus, quo Superi declararunt, sibi impunè nunquam illudi, Deumque abditarum etiam cogitationum vindicem, omnes mysteriorum divinatorum participes, intra ejusdem plerique anni

anni circulum, nec Italia quidem egressi, cum suo Rege miserè extincti sunt. Lotharius acri febricula Lucæ perstrictus, ubi Placentiam attigisset, pereuntibus sub ipsius oculis fœda lue comitibus, & ipse 8 idus Augusti repentè, nullis pœnitentiæ argumentis, nullâ prole legitimâ, occubuit. Thietgaudus Romæ dignitatis recuperandæ studio hærens, cum in Monasterio D. Andree, à Gregorio Magno excitato, hospitarur, ab hoc pervisionem bis terve objecto, intentatâ ni cederet morte, eiectus est, cumque vulgatâ re Romanorum nemo reciperet, ad Sabinos transgressus, istic cum suis anno proximo 870. consumptus est. Niger Treviris in sede Episcopali repertus canis atræ prælusisse morti feritur.

An. Chr. 870.

Carolus, intellectâ Nepotis Lotharii morte, Metas sese accelerato itinere, præoccupaturus fratrem Ludovicum, contulit, ibique à suffraganeis Trevirorum Episcopis Adventio, Hattone, & Arnulpho, secundis votis obsequiisque, exceptus, ab Hinemaro Rhemensi Metropolitâ, cum Trevericus decesset, Lotharingiæ Rex consecratus est. Ludovicus tamen Rex ubi morbo à profectioe tardatus, postea adesset, ne armis irrueret, Episcopis mediatoribus in partem Lotharingiæ admittus est, adjunxitque Germaniæ regno quidquid citra Mosam in Austrum orientemque vergit, hoc est Mediomatices seu Metas, Tullum, Viridunum, Argentinam, Basileam, Theodonisvillam, Treviros, & quidquid Arduenna & Eifflia Aquisgranum Trajectumque usque cum Epternaco, Prumia, Stabulao, complectitur, atque hinc Coloniam ultraque per Ripuarios excurrit. Quæ subinde divisio stetit apud posteros, dum superiori seculo Franci ad tuendas hæreticorum in Germania partes contra Carolum V evocati, in præmium operæ bonam rursus partem decerpserunt.

Carolus Calvus in Lotharingiâ à Trevericis Episcopis & Rhemensi inauguratus.

871.

Ludovico tamen Germaniæ Regi inferiorem inter Mosam Rhenumque Lotharingiâ indulget.

Hæc priusquam pax constaret, jam Adventitius Metensium Episcopus, impetraverat, ut Bertolphus consanguineus ex abbate Mediolacensi, usitata sæpius electione, Archiepiscopalem Treviris cathedram occuparet;

Bertolphus Trev. Archiep. eligitur.

P 5

cui,

* alii Waldo.

Waldo x-
mulus fit Ab-
bas S. Maxi-
mini.

An. Chr. 872.

Carolus Cal-
vus præ Lu-
dovico fit
Imperator.Ex ipsius fi-
liis malè e-
ducatis Car-
olus duello
perit.Caroloman-
nus refracta-
rius excocca-
tur.

cui, cum Ludovicus Rex se doleret præteritum, Wal-
donem * quendam Maximiniani, ut videtur Asceterii,
iuxta urbem Monachum opposuit. Pervicit tamen
Hincmari & Adventitii studiis, pallio Româ ab Adriano
Pont. impetrato, Bertolphus. Waldo posthæc in gra-
tiam Ludovici, Abbatialem inter Maximinianos obti-
nuit infulam; parum felici, ut solet esse consecrantium,
gubernatione, inter Nortmannorum persecutiones, de-
functus. Pontifex tamen, ut Bertolphi electionem;
ita Caroli, ac postea in sortem admissi Ludovici Regis
probare noluit; sed Nepoti illorum Ludovico Imperat.
& Regi Italiae, ut fratri Lotharii deberi Lotharingæ
coronam contendit, quem negavit, contra Saracenos,
& pro Ecclesia strenuè in Italia pugnantem, hereditate
illâ privandum. Verum utriusque mors, & Adriani
Papæ, & Ludovici Imp. cui proles mascula deerat, hanc
litem diremit, aut mutavit potius, utroque dein fra-
trum pro imperii insignibus contendente. At Joan-
nes VIII successor Pontifex, à Caroli fautoribus occu-
patus hunc ad coronam invitavit. qui paratissimo instru-
ctus milite, Ludovico nequicquam utrumque filiorum
Carolo & Carolomanno cum duobus exercitibus ad
fauces Alpium objectante; quod vi unita Carolus for-
tior, Nepotes sibi objectos facillè dissiparet, illum Marte
fractum, hunc federe conciliatum. Sed hæc trien-
nio post mortem Adriani facta paulò inferius repetemus.

Illo inter fortunæ fecundioris incrementa Caro-
lus infortunio multatus, ob habitos nimium in adu-
lteris filios, est; quod major natu Carolus simula-
tâ personâ, insigni temeritate fortissimum Francorum
Ducem Albuinum duello aggressus, occubuerit; Ca-
rolomannum deinde solutioris vitæ adolescentem, ut
minorem illo Ludovicum regno aptaret, clericali fru-
stra vitæ illigare conatus sit. Qui cum lautissima ali-
quot beneficia per luxum decoxisset, libertate inter
vincula caruit; cumque nec sic quidem mansuesceret,
oculo

oculorum etiam lumine à patre orbatus est. Qui cum Pontificem Adrianum appellasset, ad Ludovicum patrum Germaniæ Regem confugisset, hic miseratus ejus fortem Epternacense eidem, suæ jam apud Treviros conditionis, Monasterium, Prælati vicem acturo, tribuit. Quod cum locupletissimum quâ possessionibus, quâ hominibus religiosis olim fuisset; nunc clericis principibusque secularibus subjectum, magnopere Regum, passim sacra invadentium, licentiâ à S. Willibrodi instituto degenerârat. Carolomannus tamen hic brevi vitæ curriculo metam attigit, plus mortuus, quàm vivus, ut quietis sic commodi, allaturus. Sunt qui illum, ut erat clericus, primo introduxisse liberioris vitæ Canonicos ferant; quod tamen alii factum Adelardo Lotharingiæ Comiti, ante annos XXX Præposito, tribuunt. Cum Ludovici Pii filii Nepotesque degeneres, pessimique exempli, Abbatias Majorum liberalitate fundatas, liberalitate impia ad profanos homines, procerumque suorum alimenta transferrent. ut monstrum deinde amplius in Ecclesia Gallica non fuerit, caput esse profanum, & corpus sacrum.

Bertolphus inter hæc cum Hincmaro Rhemensi (Adventitio jam defuncto) constanter in utriusque Ludovici Carolique conflictatione, licet Pontifice parum benevolo, etiam cum aliqua inclementiæ nota, Carolo adhæsit. quando anno 871. in Franciam Attiniacum profectus, Hincmarum Laudunensem Episcopum nepotem Rhemensis, Adriani partes adversus Carolum tuentem, ceu rebellem in Regem, ab immiti Hincmaro patruo, in synodo prædatoria damnari, gradu dejici, oculisque orbatum carceribus includi, probavit. Quem quidem, in synodo postea Trecensi, Joannes Pont. dignitati; at luci pristinæ reddere non potuit. Bertolphus subinde Coloniam Ubiorum descendit, atque istic, cum Luitperto Moguntinensi, & Williberto ejus loci Archiepiscopo, metropolitanam D. Petro dicatam ædem, non

Epternacensi Monasterio decoctor præficitur, videtur, vi-
dentibus cæcus, qui omnia evertit.

Clerici hic Monachis pulsatis agebant, seculares imperabant.

Bertolphus male Hincmaro Rhemensi favet.

Coloniam cū aliis sumam ædem conse-
dum erat.

dum suo absolutam opere, solenni ritu consecrarunt, non sine maligno spirituum, inde sese proripientium, exaudito ululatu; ut mortales agnoscerent, quo Dei beneficio tartarique detrimento sacra hæc mysteria adhibeantur.

Ossa S. Scholasticæ in Arduennam delata.

An. Chr. 874.

Sed & Arduenna nostra sacris Scholasticæ, D. Benedicti sororis, ossibus illustrari hoc tempore cœpit. Illa cum fratre ex monte Cassino, barbarorum irruptione devastato, translata nuper in Galliam ad Cenomanos, (ut Benedictus ad Monasterium Floriacense) hinc per Richildem ex Thietbergica familia Caroli, ab Hirmen-trudis morte, conjugem Juveniacum traducta est. ubi ex patriis illa bonis Parthenonem recens erexerat. quem hoc pignore, anno salutis 874. ad 6. idus Junias, quando & Carolus ibidem Duciazensem procerum conventum tenuit, ditatum ibat.

875.
Ludovicus frater Ger. Rex Carolo absente Gallia molestus, redeunte quiescit.

Porrò Carolus superatis Alpibus adversantibusque Nepotibus in Italiam progressus, magno honore à Joanne excipitur, atque imperiali diademate ornatur. quia vero interea Ludovicus frater, ductis in Galliam copiis, procerum quorundam occupato favore, Richildem uxorem, cum Ludovico filio premebat gravius, Bosonem Richildis fratrem Ducem creavit Mediolanensium, suasque ipsi in Italia vices credidit: ipse tamen reversus Ludovicum spontè, Immæ conjugis morte acceptâ, rediisse comperit. quem denique Italiae adhuc partem, studiumque Pontificis captantem, mors interlapso sustulit; ceterum moribus, justitiâ ac pietate claris, imperio digniorem. Qui & laudatam ex se progeniem Ludovicum, Carolomannum, ac Carolum, quem

Carolus, Ludovico mortuo, Lotharingiam reliquam malo successu invadit.

postea dixerunt Crassum, reliquit. Cum Ludovici morte Calvo aucta cupiditas, ratusque luctu & divisione regnorum occupatos Nepotes facile Lotharingiâ ejici posse, quinquaginta millium exercitu se ad Rhenum effudit. Ludovicus fratrum natu medius, orientali relicto Franciæ, ad primum impetum patebat, hærebatque etiam-

num Francofurti in paternis exequiis. Is milite longè impar, missis ante omnia legatis pro pace obtestatur, necessitudinis jura, pacta vetera, & quidquid sacrum sanctumque est obtendit. Sed asserenti à fratre sese per injuriam ablata repetere, cumque ejus morte federa concidisse; misit triginta viros, quorum decem per aquam ferventem, totidemque per frigidam, ac postremò candenti etiam ferro innoxie tractando deni, usitato id temporis probandi genere, se omnia jure optimo possidere testarentur. Qui licet coram exercitu ab his experimentis illæsi abirent, immobilis tamen exequendi propositi Carolus perstitit. Ergo imploratis in vota Superis, ritèque expiato per jejunia, & supplicationes milite, spe plenus Ludovicus, exiguas contra copias, quas raptim, ex vicinis terris legerat, educit, infraque Confluentes transmissis Rheni flumine Antonacense Castellum, belli futuram sedem, occupat. Tum Carolus simulato pacis desiderio, inducias pascitur, aucturusque perfidiam, silentio noctis à Mosella per agrum Trevirorum Meginensem castra, quantà potest celeritate, promovet, incautum ut sperabat oppressurus; sed pluviis ac tempestate confusæ tenebræ, viarumque lubrica pessimè militem afflixere. Et Ludovicus, ad omnia vigil, vim fraudemque advertit, primâ luce objecit militem, exiguum illum quidem longè maximo; at, quod in commodis censebat, fesso recentem. Nec diu fatigatus iniquissimâ profectioe miles stetit. quanquam pudor contineret, & Imperatoris præsentia, fractique etiam irrumpentes principio in tam vasta agmina Saxones: tamen alter Francorum orientalium impetus tam vehemens fessis incubuit, ut primis Ducum cadentibus, desperare demum ac cedere coacti, multitudine fugientium, ac viarum intercepti angustiis, aut ferro hostili ceciderint, aut captivitate sunt intercepti. Carolus, vix eluctatus, effugium suum pro victoria habuit; didicitque, non tam in prælio viribus, dolisque; quàm æquitate

Probatio innocentia per candens ferum, aquam calentem frigidamve olim usitata, ad Ludovico frustra adhibetur.

Carolus suam perfidiam victus à paucis luit.

Richildis
profugiens
in via parit.

tate Deoque fidendum. Richildis, quæ Heristalli ad nuntium victoriæ excipiendum substiterat, foetu gravida, hunc in via, ad famam acceptæ cladis fugiens, effudit. nec fugâ abstitit; cum salutis amor dolorem puerperii abstergeret, ac terror afflictæ pro remedio esset. Infanti cursoris brachia pro cunis, saltus pro agitatione fuit, qui non Porphyrogenitus, ut ille ollim, sed correctius, Prosphyrogenitus esset nuncupandus. Ludovicus tamen quanquam spoliis dives, moderatè usus belli forte, Caroli terris vim abstinuit, satisque habuit propria defendisse. Reversus Carolomanno majori natu fratri Bavariam, Pannoniam, Bohemiam, Sclavos, Carnos, Noricos, Vindelicos reliquit: Carolo minori Lotharingiam superiorem, cum Alfatia, Alemanniaque: ipse Lotharingiam, quæ Metas, Treviros, Ubiosque complectitur, cum Franconiâ, Turingiâ, Saxoniâ, Frisiâque possedit. ut pauci Francorum deinde tam ex æquo fraternè hereditatem creverint.

Ludovici vi-
ctoris æqui-
tas, in victos.

& fraternæ
hereditatis
æqua forti-
tio.

An. Chr. 877.
Carolus ex-
tinctus Lu-
dovicū Balbū
fil. reliquit.

Carolus Calvus Imp. posthæc adverso rerum succes-
su morboque obrutus, remedio (an veneno anceps) per
Judæum Medicum propinato, expiravit, cum vita,
cupiditatem; Locupletior futurus, si pauciora ambis-
set. Ludovicum fil. Balbum à linguæ dictum vitio,
heredem regni sine æmulo destinavit. Sed & Joan-
nes Pont. eidem collaturus imperium; cùm à Roma-
nis, Ludovici Germaniæ Regis liberis sortem hanc
cupientibus, vi consilioque destineretur, fuga in Gal-
liam delatus, Trecisque instituta synodo (ad quam &
Bertolphum Trev. Antistitem evocavit) Balbum ibi-
dem Imperatorem creavit. Quo tamen post annum
defuncto, Ludovicus, quamvis à multis procerum por-
tulatus in Regem, Lotharingiæ tamen totius (nam
Calvus partem abstraxerat) delato à Balbi filiis do-
no acquievit: reversusque cum exercitu, Nortman-
nos ad Carbonariam silvam obvios secundo prælio,
quamvis non sine jactura Hugonis filii cadentis, pro-
fligavit.

878.

879.
Balbo mor-
tuo Lotha-
ringia Ludo-
vico Germ.
Regi offer-
tur.

880.

Quo tamen post annum
defuncto, Ludovicus, quamvis à multis procerum por-
tulatus in Regem, Lotharingiæ tamen totius (nam
Calvus partem abstraxerat) delato à Balbi filiis do-
no acquievit: reversusque cum exercitu, Nortman-
nos ad Carbonariam silvam obvios secundo prælio,
quamvis non sine jactura Hugonis filii cadentis, pro-
fligavit.

flavit. Accessit dein anno proximo ex morte Carolomanni fratris Ludovico Bavaria vicinæque regiones, Carolo verò Crasso fratri regnum Italiae. quæ ipsi fors, ad Augusti Imp. insignia viam aperuit, cum Pontificem ambiguum, Ludovicone, an Carolo hunc impenderet honorem, suas denique ad partes inflexit. quam tamen Ludovici post biennium mors electionem probavit.

Bavaria accedit Carolomanno defuncto.
881.
Carolus Crassus Italiae Rex.



LIBER